QUID SIT
CHRISTUM SEQUI

DISSERTATIO THEOLOGICO-PRACTICA

QUAM DEO BENE VERTENTE

IN FACULTATE THEOLOGIAE EVANGELICAE UNIVERSITATIS
PARISIENSIS

PRO LICENTIA DOCENDI

Die 4° mensis Aprilis, A. D. 1900, hora a. m. X

PUBLICE DEFENDET

JOHANNES MONNIER

MATISCONE
EX TYPIS FRATRUM PROTAT

M D CCCC

QUID SIT
CHRISTUM SEQUI

DISSERTATIO THEOLOGICO-PRACTICA

QUAM DEO BENE VERTENTE

IN FACULTATE THEOLOGIAE EVANGELICAE UNIVERSITATIS PARISIENSIS

PRO LICENTIA DOCENDI

Die 4° mensis Aprilis, A. D. 1900, hora a. m. X

PUBLICE DEFENDET

JOHANNES MONNIER

MATISCONE
EX TYPIS FRATRUM PROTAT

M D CCCC

Praeside V. S. V. E. EHRHARDT,

Solemne exercitamentum moderabuntur triumviri doctissimi

E. EHRHARDT,
A. LODS,
S. BERGER,

SS. Theologiae DD. et PP. PP. OO.

QUID SIT CHRISTUM SEQUI

F. Bosse, *Prolegomena zu einer Geschichte des Begriffes « Nachfolge Christi »*. Berolini, 1895.
A.-B. Bruce, *The training of the twelwe*. Edimburgi, 1894.
H. Cremer, *Biblisch-Theologisches Wörterbuch*, 8a ed. Gothae, 1895.
G.-A. Deissmann, *Die N. Tl. Formel « in Christo Jesu »*. Marburgi, 1892.
A.-M. Fairbairn, *The place of Christ in modern Theology*, 2a ed. Londini, 1894.
K. Grass, *Das Verhalten zu Jesus*. Lipsiae, 1888.
W. Herrmann, *Der Verkehr des Christen mit Gott*. Stuttgardiae, 1892.
H. Holtzmann, *Neutestamentliche Theologie*, t. I. Friburgae, 1897.
Th. Keim, *Geschichte Jesu*, t. 2. Tiguri, 1871.
C.-E. Luthardt, *Geschichte der Christlichen Ethik*. Lipsiae, 1888.
H. Martensen, *Christliche Ethik*, gallicè vertit A. Ducros, t. I. Parisiis, 1892.
C. Renouvier, *La Doctrine de J.-C.*, *Année philosophique*, ann. IV. Parisiis, 1893.
A. Réville, *Jésus de Nazareth*, 2 vol. Parisiis, 1897.
Ch. Sheldon, *In his steps*. Neo-Eboraci, 1899.
J. Stalker, *Imago Christi*, 8a ed. Londini, 1895.
E. Stapfer, *Jésus-Christ pendant son ministère*. Parisiis, 1897.
J.-R. Seeley, *Ecce Homo*. Londini, 1873.
H. Stephani, *Thesaurus* (ed. Hase et Dindorf). Parisiis, 1835.
L. Tolstoï, *Les Évangiles*, vert. Wyzewa et Art. Parisiis, 1896.
J. Weiss, *Die Nachfolge Christi*. Goettingae, 1895.
H. Wendt, *Der Inhalt der Lehre Jesu*. Goettingae, 1890.
Th. Ziegler, *Geschichte der Christlichen Ethik*. Argentorati, 1886.

Inter ea quae ad christianam vitam attinent, nulla gravior quaestio, nulla, ut ita dicatur, praesentior moveri potest quam ea qua de Imitatione Christi agitur. Nuperrime in America, C. Sheldon animos vi incredibili movebat, hanc vitae rationem

audientibus proponens : « Quid faceret Jesus, si in nostro loco esset ? » Viri illius, pietate egregii, neque doctrinae expertis fama subito exorta et auctoritas ex eo certe procedunt quod verba ab omnibus exspectata protulit, ostendens quid sit vitae fidelis perfectissimum exemplar.

Opportuno quidem tempore haec vox auditur, et hoc ob multas causas ex quibus duae potissimum in censum veniunt. Hoc primum fatendum est, Ecclesias e Reformatione ortas, quamquam imitationem Christi non neglexerunt, illi tamen praecepto debitum locum non tribuisse. Notum est Reformatores, in primis Lutherum, de imitatione Christi non satis profunde sensisse. Imitationi Christi fictae, hominibus non denuo natis impossibili, et imitationi falso meritoriae quam homines pii affectabant, occurrebant. Contra monachorum vota et commenticiam perfectionem repugnabant. Hoc opus erat : justificationem statuere, et eam salutem quae per Christum sola fide nostra fit. Credere primum et ultimum erat principium et finis. Fides qua Deus per Christum cognoscitur et apprehenditur, via suprema et regia videbatur. Ideo doctrina de Christo magis apud nos quam ipsa imitatio diu floruit, et haec quidem nostris etiam temporibus, ut consilium quoddam pietatis, aut ut « pium desiderium » aut ut grave ethices caput habetur, magis quam ut praecipua et perpetua christianae vitae norma.

Secunda causa est quod parati sunt animi, praesenti litterarum sacrarum statu, et communi christianorum opinione, ad intelligendum qui sit et quantus in nostra vita locus Christo debitus.

Quae temporibus nostris floret theologia, etiam apud scriptores liberrimi ingenii, de ecclesia in hoc saltem bene meretur, quod Christum vivum ac verum praebere nititur. Immo dixeris illam, e studio erga Christum renascente, originem sumpsisse. Qui magis amatus, melius cognitus, in dies crescit. Facta vitae ejus, existimantium arbitrio quasi igne probata, certiora patent. Quis fuerit ipse et quanti ponderis, clarius apparet. Supremam temporum personam homines docti agnoscunt, et quae auctoritatis ejus causa sit et qui verus fons maximo studio disquirunt.

Quin etiam Christus ille vivus qui medium theologiae locum

occupat, pietatis caput et cardo esse dignoscitur. Connituntur Christiani ut in consilia ejus sese insinuent, eaque latius et plenius exsequantur. Si de regno divino causa est, illud revera constituendum et voluntatem divinam in terris sicut in caelo pro lege suprema habendam esse statuunt. Fidem agnoscunt ad societatem communitatemque generis humani pertinere. Pars illa Christianae pietatis quae ad mundum convertendum spectat, quam nostrates, si verbo gratia sit, « Christianismum socialem » vocant, omnes vitae novae vires complectitur, quae rerum ordinem instaurare et in melius mutare valent. Si de singulis agitur, intelligitur Christi non mandata solum, sed personam ipsam nobis pro duce esse. Imitatio Christi, quae temporum quorumdam pietati mirum splendorem contulit, et vitam beati Francisci in librum quemdam « Conformitatum » mutavit, nunc rursus fontes obstructos et derelictos aperit.

Quam quaestionem nunc sedulo excutere nobis proximum officium est. Si hac via novae vires acquiri possunt, quomodo liceret eas ignorare ? Pateat hominibus bonae voluntatis aditus ad suprema officia, ad summa gaudia. Sed et hoc animadvertendum est, in hoc praesertim promissa in majus ferre facile et periculosum esse, ita ut jugum gravius humeris imponatur. Simpliciter igitur et fideliter exquirere liceat qua connexione sibi discipulos suos Christus conjunxerit, et in perpetuum conjungere voluerit, ut exinde quaeramus quo animo exemplum unicum et effigiem divinam vita propria efficiendam nobis proponere debeamus et valeamus.

Ante omnia, ut de hujus inquisitionis methodo certiores fiamus, opus nobis est viam eligere quae per medias res ad finem perveniat, aut potius a principio ordiri in quo rei nodus et tota controversia jaceat. Quod quidem inveniemus in hac sententia saepe a Jesu Christo iterata : « Sequere me ». Consideremus ergo quid significet verbum hoc in variis locorum ac temporum condicionibus. Nihil ad propositum magis conveniet. Christum enim sequi primum est verae pietatis initium, et ex eo procedit quodcumque apud perfectissimum quemque requiri possit.

I

Ἀκολουθεῖν, sensu proprio, significat sequi, iter cum aliquo facere, illum comitari, quod servi, commilitonis, comitis officium est. Cui verbo opponuntur ἡγοῦμαι et ἄρχομαι. Construitur apud classicos scriptores cum dativo, interdum cùm accusativo, aut cum μετά, κατόπιν τινός (Cf. Es. 45,14 Cf. κατά τινος Sir. prol.2), σύν τινι; in N. T. inveniuntur pariter ὀπίσω τινός (Mt. 10, 38), μετά τινος (Lc. 9, 49) ; Hebraïce פָּנָה, דָּבַק, הָלַךְ : לְרֶגֶל, הָלַךְ : אַחַר. Dicitur, eodem proprio sensu, de tempore (2 Macch. 4, 17 ταῦτα ὁ ἀκόλουθος καιρὸς δηλώσει).

Sic etiam saepe Christum sequi nihil aliud est quam cum illo iter facere. Non solebat ire solus : immo, admodum raro solus erat. Secretum profecto petebat, ut se in occultò contineret, totus in prece coram Patre. Quae horae interdum longae erant, sed necesse erat ut eas sibi sumeret. Ut incipit munere prophetico fungi, sive in eodem loco commoretur, sive sedem mutet, auditores eum multi sequuntur. In Evangeliis dictum crebro iteratum legitur : « sequebatur eum turba multa » (Mc. 5, 24). Sequitur eum, nulla aurium satietate, coetus auditorum (Mt. 8, 1) post concionem in monte habitam. Sequitur eum ut sanetur (Mt. 19, 2), ut doceatur (Mc. 10, 1). Procul etiam ab urbibus, omnia derelinquentes eum sectantur (Mt. 14, 13); sequuntur duo illi coeci clamitantes : « Domine, miserere nostri, Fili David » (Mt. 25, 30). Dicitur discipulos eum quocumque secutos esse (Mc. 6, 1); dicitur pias mulieres Magistrum et discipulos secutas esse, illis inservientes (Mt. 27, 55). Duodecim apostoli cum eo iter faciunt, ultimam peregrinationem suscipiunt (Mc. 10, 32), usque in Gethsemane veniunt (Lc. 22, 39).

In aliis autem locis, sequi (ἀκολουθεῖν), novum quemdam sensum accipit. Cum id Jesus enuntiat, sollemniter resonat. Scire vult an vocati eum assidue sequi parati sint, et cum eo versentur, ut cum magistro discipuli. Tum idem est « sequi » ac « discipulum esse ».

Quod quidem admittit jam V. T. usus (apud LXX et in libris apocryphis), ubi saepe ἀκολουθεῖν morale et spirituale commercium indicat, scilicet ut homines Verbo obedientes sint (Judith 2, 3; cf. 1 Reg. 16, 22; Is. 45, 14; Ez. 29, 16), legibus (2 Macch. 8, 36), Diis patriis (Judith 5, 6). Idem de ἐξακολουθεῖν animadvertatur (Job 31, 9; Sir. 5, 2; Is. 56, 11 propriam viam sequi; Am. 2, 4 idolis servire; Dan. 3, 41 religiosum et integrum esse; cf. 2 P. 1, 16; 2, 2. 15). Idem de ἐπακολουθεῖν (Lev. 19, 4 idolis servire; 19, 31; Num. 14, 24 fidelem esse; Jos. 14, 8. 9. 14 Deo servire; Job 31, 7; Sir. 46, 6; Is. 53, 3 consilia divina exsequi; cf. 1 P. 2, 21). Idem de ἀκολουθῆσαι ὀπίσω (Ez. 29, 16), confidere.

Ubi Christus Matthaeum alloquitur, dicens « sequere me » (Mt. 9, 9); ubi Petrum et Andream, « Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum » (Mt. 4, 19), satis intelligitur eos qui hoc modo vocentur, in gravi discrimine rerum versari. Tanti ponderis momentum unicum est. Redemptor qui hoc modo invenitur vult corde et vita potiri. Verba ejus graviter et quasi tragice sonant. In hoc brevissimo temporis momento, inter diversas vias ad summum decernitur. Discipuli fiunt.

Fatendum quidem est discipulorum societatem nullo modo arcte definitam et constitutam esse. Sunt quasi circuli ab eodem centro descripti; sunt colorum fugientes transitus. Ubi de turba discipulorum agitur (ὄχλος πολὺς μαθητῶν Lc. 6, 17), auditores intellexeris assiduos, magis quam re ipsa sectatores. Hujusmodi homines vocationi unicae, in perpetuum non responderunt. Forsan et etiam inter eos multi, turbae mobili similiores erant. In talibus locis idem fere est discipulus atque auditor.

Centrum autem tenent electi discipuli, mox duodecim apostoli, qui comitum Christi coetum assiduum constituunt. Omnia derelinquunt ut Christum sequantur. Quos probavit primum et inter optimos elegit, natos e loco humili, sed ingeniosos et extra scholas doctorum educatos, quorum pectus durum et superbum evangelio praecludebatur. Quibus instituendis operam intentam dedit; eos quasi tirocinio assiduo formavit, ut testes laborum et praecones doctrinae essent. Prope eum vivere,

jam pro educatione erat. Paulatim ingenio suo, caritate immensa, vita sancta, perfectissimo habitu immutabantur, gradatim ad id adducti, ut crucis fidem intelligerent acciperentque. Quo facto hominum duces et rectores fieri poterant : memoriam enim Domini praesentem servabant et imaginem animis impressam vita reddere conabantur. Quae quidem institutio longa fuit et magni laboris, pleni enim erant vanis opinionibus. Sed tali magistro auspice, multum ab hominibus exspectandum erat, qui amore et fide erga eum accensi, omnia dimiserant. Primum ecclesiae globum constituebant, consortes laborum Christi.

In medio inter apostolos et turbam auditorum supersunt multi quos merito discipulos dixeris, et de quibus eodem modo loqui liceret ac si continuo Magistrum comitati essent. Sequebantur enim, si hoc verbo sensu altiore usus sis; sed difficile est subtiliter inquirere an saepe vel continuo multi illum revera secuti sint. Talis fuit Matthias, qui testis ab initio, apostolorum numero addictus est (Act. 1, 21-23). Tales fuissent et scriba qui se paratum ad omnia contendebat (Mt. 8, 20), et juvenis ille dives quem Dominus cum vidisset amavit (Mc. 10, 21). Tales profecto septuaginta illi quos regni caelorum praecones misit (Lc. 10, 1). Non semper cum Magistro deambulant; sed illud etiam animadvertendum est, duodecim illos non sine ulla intermissione, primis saltem mensibus, Christum secutos esse. Satis sit discipulum fidelem et nomine dignum, necessario eum fuisse qui vocationi respondens, quaeque ex ea manent acceperit; inter quos apostoli sunt lectissimi inter delectos.

Talem nobis fingamus Dominum, quales fuerint veteres Judaeorum prophetae, cum filiis prophetarum circumdarentur (4 Reg. 2, 15), qualis Elias cum Elysaeo (3 Reg. 19, 20 κατέδραμεν ὀπίσω Ἠλειοὺ καὶ εἶπεν· καταφιλήσω τὸν πατέρα μου καὶ ἀκολουθήσω ὀπίσω σου), qualis Johannes Baptista cum discipulos ad orandum (Lc. 11, 1), ad veram poenitentiam, ad vitam fidelem formabat (Lc. 3, 1-14); quales tunc temporis magistri, qui cum discipulis deambulabant, et praeceptum servabant semper de verbo divino cum aliquo rem habere. Sed apud Dominum nihil frigidum esse poterat; non levia mandata, non vitae in

speciem mutatae, non angusta felicitas. Ideoque Christus ubi de eo pronuntiat quid sit ipsum sequi, semper presso et certo dicendi genere usurpato, nullo falsis imaginibus loco relicto, vetat quempiam ad se venire corde districto et multis curis simul anxio. Clare dicit quod clare intelligi debet. Neminem venire sinit, nisi sincero animo et ad omnia parato. Ita demum erunt comites quasi familia, cujus Pater est Deus omnipotens. « Quiçumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in caelis est, ipse meus frater et soror, et mater est » (Mt. 12, 50).

Veniamus nunc ad quartum Evangelium, quod in hoc cum ceteris mire congruit, et expressis verbis enuntiat quod ista rebus indicant. Quo etiam in Evangelio, nunc de turba agitur quae mutabilis miracula quaerit (Joh. 6, 2), nunc de discipulis qui Dominum sequuntur; nunc de iis qui ei corde adhaerent, itinere illo, animo non sensibus comprehenso, quo fideles pergunt, caelum petentes.

A principio, qui postea apostoli erunt, inter se Messiam agitant quem invenerunt. Verba commutant, ambigendi materiam habent, sese invicem haesitantes regunt ; dubitationes tolluntur. Agnum sequuntur qui tollit peccata mundi, et locis istis « sequi » plenum habet et grandem sensum : revera sequi, sequi tanquam discipuli (Joh. 1, 37. 38. 41. 44).

Lege autem caput decimum : de ovibus nunc quaestio est, quae bonum pastorem sequuntur. Agnosce fideles, nec parvum gregem tantum qui circa Pastorem pascebat. Ecclesia est quae in hoc mundo vitam fide quietam, sed periculis obnoxiam degit, cauta adversus mercenarios, a lupis tuta, dummodo magnum Pastorem ovium sequatur. Incedit primus, et vestigia ejus premunt. Vocem audiunt notam (Joh. 10, 4), « alienum autem non sequuntur » (Joh. 10, 5). Vocem enim familiarem inter alias discernunt; secutae respondent (10, 27). Pastor bonus vitam aeternam largitur, « et non rapiet eas quisquam de manu » sua (Joh, 10, 28). Institutum ad omnes pertinens asseritur (Joh. 8, 12): « Qui me sequitur non ambulat in tenebris ». Figura est incedentis post magistrum discipuli; sed de societate spirituali agitur. Fidus amor etiam et obediens describitur in hoc Johannis

loco « si quis mihi ministrat, me sequatur ; et ubi sum ego, illic et minister meus erit » (Joh. 12, 26) ; et in hoc alio : « in doctrina mea perseverantes, vere mei discipuli eritis ».

Tales hoc praesertim Evangelium discipulos praebet, qui nunquam aut raro cum Christo iter faciunt, Nicodemum (Joh. 19, 39), et Josephum Arimathaeum qui expresse discipulus vocatur (Joh. 19, 38), et Bethaniae illam familiam, Lazarum, Martham et Mariam (Joh. 11), et hanc invisibilem ecclesiam, cujus oves sunt imago, et quae, secreta cordis pietate, se puram servabat.

De his omnibus ἀκολουθεῖν dici potest, et jussum Christi ad se vocantis, et processio discipulorum per vias incedentium, quasi sublimis quaedam est et heroica allegoria quae ita apertis verbis animos ferit, ut eis imprimat quid sit Christum sequi, cuncta scilicet relinquere, nihil timere, Domino penitus se tradere.

II

Idem est igitur Christum sequi ac vinculo quodam intimo cum eo conjungi. Sed nunc de hoc vinculo tractandum est, et quid sit, ex quo constet determinandum.

Duo ante omnia notanda sunt : primum propria in Christum pietas, et deinde mandata ejus quae oboedientia cordis exsequitur. Quod quidem jam usus verbi ἀκολουθεῖν apud LXX indicat. ἀκολουθεῖν de populo dicitur qui regem quemdam sequitur (3 Reg. 16, 22 [Aq.] ; LXX : ὁ λαὸς ὁ ὢν ὀπίσω Θαμνεί).

Vinculum hoc proprium et inseparabilis connexio a Domino saepissime exprimitur. Qui regnum Dei primum nuntiat, mox se ipsum ante omnia ponit : « Venite ad me », ait (Mt. 11, 28). Messias est, et divini regni non praeco solum sed mediator (Mt. 11, 27 ; Lc. 10, 22). Nemo regni particeps erit, nisi cum eo junctus. Maximi est quod in gratiam ejus fit, etiamsi per se parvum sit (Mt, 18, 20). Qui eum accipit, Deum accipit (Mc. 9, 37). Non de praeceptis solum agitur, nec de spiritu quem in se

fert, sed de ipsa persona. Non se jungit Christus a se verba sua, nec spiritum; non distinguit inter personam et sermones (Mc. 8, 35. 38; 10, 29). Dicta animum exprimunt; persona sensum dictorum quis sit declarat. Est Christus, priusquam sit locutus, pars ipse praeecipua et mirabilis doctrinae suae. Non se ab Evangelio discernit : credi vult. Ex ista cum eo societate pendet salus ipsa, pars bona quae non auferetur, res una necessaria (Lc. 10, 38 et seq.). Omnibus rebus ei postpositis, ne dubitent omnia projicere ne eum perdant (Mc. 8, 35; 10, 29; 13, 9. 13). Nemini sit pudori (Mc. 8, 38: Mt. 10, 32). Nemini sit scandalo (Mt. 11, 6).

Talem et tantum amorem nomen unum fides decet : quam sibi Christus aperte vindicat. Miraculum effecturus, fidem exposcit (Mt. 9, 28). Peccatis veniam daturus, animum observat (Mt. 9, 2), apertum pectus videt, et fiduciam, nisi perfecte consciam, vivam tamen et simplicem ab hominibus exspectat. A peccatrice pretiosum munus, et magis pretiosam fidem accipit (Mt. 26, 12). Qui ab eo alienus est in imo pectoris secessu, qualemcumque speciem prae se ferat, rejicietur (Mt. 7, 23). Cuique res una ante omnes maximi ponderis est : quem se erga Christum praebeat. Sic discrimen fit hominum, sic se gratia excludunt, sic eam capessunt. Petra frangit hostes (Mt. 21, 44), credentibus firmum et inconcussum fundamentum praestat. Christo autem mortuo, et a mortuis excitato, sciunt certo discipuli, vinculum illud quo magistro conjuncti erant, non solutum esse. Nunc pro fiducia fides est. Nunc Spiritu Christi imbuti, et vitam ipsam ex eo assumentes, Christiani sunt, quatenus vinculum illud eos cum eo jungit. Societas cum tanto Magistro sanctior et arctior est. Haec est quae nominatur « unio mystica ». Satis constat quem et quantum locum apud Paulum teneat. Dicere est fideles in Redemptore glorificato quasi sitos esse. Cum precantur, in illis Spiritus est intercessor. Cum agunt, charismata vires suppeditant. Membra corporis invisibilis Christi, alii alios in illo amant, consolantur, adjuvant. Adversus peccatum reluctantes sustinet gratia interior. Non jam vivunt : Christus in illis vivit.

Non autem in animo est de doctrina adeo cognita tam breviter

tractare. Tanta non delibare licet. Satis est commemorari quantum verba Domini quae quartum Evangelium refert huic societati testimonium afferant.

Christus revelator pariter curat ut Patrem quam plenissime ostendat, et simul fideles secum in aeternum jungat. Itaque de Patre loquitur quasi ipse nihil jam esse debeat : « Qui credit in me, aiebat, non credit in me sed in eum qui misit me » (Joh. 12, 44). Nihil dicit Dominus nisi a Patre prius auditum (Joh. 12, 49-50). Nullam habet potentiam nisi datam (Joh. 3, 35). Idem de vita affirmatur (Joh. 5, 26), de potestate judicandi (Joh. 5, 27), et de redemptis hominibus quos Pater Filio dedit (Joh. 6, 37). In terris pro cibo voluntatem Patris habebat (Joh. 4, 34), et testimonio ejus apud auditores auctoritatem accipiebat.

Sed Filius est, unus cum Patre, et dona quae secum fert cum iis participat qui cum ipso fidei societatem intimam servant. Sine hoc vitae consortio non est, ut Johannis evangelium intelligas. Quid valet vitis et sarmentorum allegoria (Joh. 15), nisi vitam quodam modo discipulis et magistro communem indicat ? Quid vivi panis nisi quod Christo illo qui idem est ac spiritus vescuntur (Joh. 6)? Quid haec sententia saepe iterata : « Qui manet in me, et ego in eo » (Joh. 15, 5)? Certe fides in Dominum requiritur (Joh. 3, 15. 16. 18). Illum sequantur, lucem mundi (Joh. 18, 12), amore prosequantur (8, 42), agnoscant a Patre missum (Joh. 8, 28), honorent sicut Patrem (Joh. 5, 23). Quidquid praeterea de mandatis suis (14, 15. 21. 23), de Verbo audiendo et tenendo (Joh. 5, 24; 8, 31), de bonis suorum operibus dicitur (Joh. 15, 4 et seq.), ostendit quid ab eo sit accipiendum, quid ei tribuendum, et confert aliquid ad hanc praesentiam Patris et Filii in animis fidelium, quam septemdecimum caput, quasi Psalmus amoris infiniti, breviter contrahens, splendide canit.

Non satis igitur possis affirmare quantum in hac societate et principium et robur christianae pietatis ponantur. Firmissime asseverandum est apostolos in illa articulum stantis aut cadentis fidei vidisse. Ne liceat ergo hoc vinculum extenuare aut etiam solvere. Nonnulli hodie theologi, iidemque gravissimi ponderis, tentant elicere causas hujus experientiae et ad primas quasdam

partes reducere. Dicunt nos ad Patrem non ad se ipsum, Christum adduxisse. Addunt nunquam a Christo quidquam percipi posse, nisi per verbum Evangelii scriptum. Volunt illum cognosci posse quem tradit historia, non Christum glorificatum fide percipi. Verum est profecto ex parte quod contendunt. Superest tamen haec praesens et permanens communio quae implet cor, vitam mutat, victoriam confirmat, caelum jamdudum aperit. Nec satis est de exquisitae personae gratia et summa auctoritate loqui. Necesse est aliquid altius et sanctius invoces, animae scilicet denuo natae consortium cum Principe vitae. In quo jacet nescio quid Christiano cordi inconcussum, quod interius est animi sacrarium. Verbum scriptum ad Verbum aeternum ducit, et Filius revelatus ad Patrem, sed centrum omnium Christus in nobis est.

III

Cum Christo tam arcte juncti, mandata ejus exsequimur. Qui aliquem sequitur, illi etiam paret (Joh. 12, 26); « si diligitis me, mandata mea servate » (Joh. 14, 15). Et postquam dixit « venite ad me » (Mt. 11, 28), addit : « Tollite jugum meum super vos » (Mt. 11, 29). Gravis autem exsistit quaestio, quae sint haec mandata quae a discipulis expostulet Christus.

Duae possint de hoc agitari quaestiones : quid de lege sentiat Christus, quid de Regno caelorum doceat. Nonne mandata ejus, ut ipse legem aut servavit aut rejecit aliud significabunt? Nonne periculosum est in perpetuam regulam erigere quod certi cujusdam temporis sit ? Sed magis intenta cogitatio ad radicem communem harum quaestionem penetrabit. Mandata Christi in hoc contrahuntur ut discipuli sui tales erga Patrem sint qualis ipse fuit. Filii animum induant.

1° Legem fideliter observavit qui « implere omnem justitiam » (Mt. 3, 15) studebat. Sed illam spiritualiter sequebatur, qui primum legis mandatum in amore perfecto Dei ponebat, et Patris voluntatem ante omnia quaerebat. Quid sit legis unitas, quid vis

intima, mutans statuta ex aliis in alia percipiebat. Atque id ipsum, non quaevis mandata discipulis tradebat. Clare apud eum et plena luce apparet qua ratione vita nova regatur. Principium quoddam altum et perpetuum omnibus semper adesse debet : scilicet « primum regnum Dei et justitiam ejus » quaerere (Mt. 6, 33). Omittendum est quidquid ab hoc sanctissimo officio avertere possit; admittendum contra, quidquid cum illo conveniat. Una virtus omnes continet, scilicet perfectum esse, sicut Pater in caelis est perfectus (Mt. 5, 48). Ex illo fonte procedunt et justitia et amor, quorum proprium est animos immutare. Justitia, prophetica virtus (Mt. 12, 20) quae jura proximi sacra habet (Lc. 11, 42); amor qui homines in fratres mutat, odia perimit, inaequalia planat, familiam Patris in orbe instituit.

Ideo Christus legem nullam novam condidit, nec eamdem omnibus vitam praescripsit. Satis erat in unoquoque fontem divini amoris aperire; satis fermentum vitae novae animis committere. Idem omnibus et temporibus et personis aptatur institutum. Non eadem ab omnibus exigit Dominus. Multi sunt ad virtutem Christianam ascensus, diversi sunt ordines, et necessitates variae, quibus diversa respondent mandata. Non uniusmodi lex constituta est, sed spiritus novus animis infusus, quo quisque in viam propriam impellatur. A nonnullis clare exspectavit ut patrimonium etiam amplum venderent (Mt. 19, 21), et sivit alios cum ipso conjunctissimos, opes, domum servare (Mc. 1, 29; Lc. 10, 38-42). Quidam ad officia et gaudia familiae devovenda vocabantur (Mt. 19, 12), dum alii, etiam inter apostolos, a conjugibus nullo modo discedere juberentur (1 Cor. 9, 5). Nemini cura remittebatur, attentissime considerandi quid voluntas divina exspectaret.

Quod si crucem quotidianam et vexationum dolores quasi signum ipsum suorum fecit (Mt. 10, 38; 16, 24), id non erat quaesita quaedam perfectio, aut mandatum quoddam peculiare, sed necessario illud ipsum e temporibus, atque ex altissimo amoris supremi munere oriebatur. Qui homines peccato liberare conantur, ab hominibus durissima quaeque patientur. Mirati sunt Dominum de cruce ita locutum esse : nihil tamen magis

ad propositum valebat. Hoc dictum in omne tempus declarat quid maneat fideles, et eos ad omnia paratos esse jubet. Messias ille quem sectantur, non locum quietis habet (Mt. 8, 20). Non enim concedunt ei homines quietem, nec concessa frui potest. Nihil eos ad oblivionem movet quos angit alienus dolor, nihil quos alienum peccatum. Requiritur tanto operi firmus animus et inconcussus. Aratrum capessenti non jam licet retro respicere. Pejus exemplum sit quam otiosi, et id quod frangat animos. Omnia relinquant, expedit ad tantum iter (Lc. 5, 11). Non valet eadem manus in proelio opes retinere, arma tractare (Mt. 19, 21). Tempore inquieto detrimenta ferenda sunt quae fidelitas secum affert. Firmiter tenendum est quod omnium primum est, et parvi cuncta aestimare prae Deo. Adhaereant Christo, supremum vitae officium dulcissimis affectibus anteponant (Mt. 10. 37).

2° Regnum caelorum, Regnum divinum nuntiabit, et multum refert sic objicitur — utrum Christus crediderit hoc regnum e caelo venturum esse cum tota omnium et subita transfiguratione, an debuerit diuturno labore animos, et societatem hominum inter se in melius mutare. Et multi inter recentiores pro certo habentes Christum finem proximam mundi exspectasse, mandata ejus graviter extenuant cum fingunt Christum non ita locutum esse, neque fore ut tanta expostulasset, si credidisset hunc mundum qualem se habet, per saecula permanere posse. Qui nihil a praesenti rerum statu exspectabat nec societatem novam condere volebat, sed terribiles ultimi temporis motus pro remedio supremo habebat, et ideo ethicen non permansuram, sed extremo tempori aptam praedicabat. Atque ita pars magna doctrinae quae ad mores spectat, fine instante praeoccupata, parum ad nos, nisi penitus explicata, et rebus aliis accommodata pertinet.

Hanc sententiam rejicient qui propius inquirent ex quo fonte Christi mandata procedant. Primum quidem in dubio est num finem hujus mundi sine mora imminentem praedixerit. Satis indicant verba ejus, praesentis ordinis tempus et conversionem mundi non rem esse brevis momenti (Mt. 13). Satis declarat

finem rerum nihil aliud effecturam esse quam secreta patefacere, peccata occulta in lucem proferre, animos Deo consecratos gloriosa luce illustrare. Non erat illi secundus adventus unicum malorum remedium, sed quasi manifestatio divinarum virium, quae, Evangelio praedicato, et spiritu sancto operante, homines jam in melius mutabant. Non est igitur ille causa doctrinae Christi, sed complementum. Non principia mutat : laborem coronat. Haec dies deprehendet homines, sed erit matura messis. Ut varias Evangelii parabolas adhibeamus, veniet sicut fur in nocte, sed veniet etiam sicut vesper in quo bonus quisque operarius mercedem accipiet.

Veritatem Dominus ex intima communione cum Patre hauriebat. Nec erat talis quales sunt homines qui sapientiam temporibus mutant. Semper et ubique optimi conscius, posuit et roboravit normam ipsam qua agnoscunt quid sit perfectum. Verum retinet, nunquam ab eo deflectens. Non numerus dierum, sed amor et sanctitas eum movent. Non loquitur in paucos dies, sed ea dicit candide atque simpliciter quae non transibunt ; quae, quasi stellae stantes, viam indicant, sive in securis, sive in duris temporibus.

In illis quaestionibus quae ad mores pertinent, non ad secundum adventum doctrina Christi refertur. Perfecta est : hoc malo laborat, si malum est, non alio. Excedit modum, sed excellentia. Extra usum esse videtur, sicut virtutis eminens effigies, sicut forma ipsa et tanquam facies honesti. Nimis ardua sane et debilibus animis nostris quasi provocatio, nisi gratia potius etiam esset quam lex. Vita est amplior et pulchrior, spiritu divino creata, viribus munita quibus genus humanum renovatum sese ipsum superare valet. Quod in ea impossibile est, et evidenter contra usum, necessitatem indicat, et tanquam aculeus remanet, ad meliora cogens. Christum sequimur non imperantem sed adjuvantem. Dat quod jubet, et persona ejus, ita perfecta ut de imitanda ea desperetur, promissa omnia pro fide in nobis perficit.

IV

Ex his omnibus sequitur nova tandem et ultima verbo ἀκολουθεῖν subjecta sententia, quae consuetudini sermonis conveniens, sensu postulatur, nempe « imitari ». Christum sequi est ei similem fieri. Non eadem res est sequi atque imitari, sed imitatio per necessitatem sequitur.

Quod idem vult usus. Saepe enim sequi significat similem esse. Apud Suidam invenitur ἀκόλουθος pro ὅμοιος, et idem valens. Apud Stephanum, in Thesauro, vertitur ἀκόλουθος in consentaneum, congruentem. Exempla significantia dat Stephanus. Sic Lycurgus (C. Leoc. 165, 40) : ὅμοια ἐκείνοις καὶ ἀκόλουθα ψηφισάμενοι. Sic Lucianus (de Bell. voc. 12) μιμησαμένους et ἀκολουθήσαντας idem valentia adhibet. Sic Aristoteles (H. A. 2, p. 29) : ἀκολουθεῖ κατὰ τὸ σῶμα, corporis modum imitatur. Ἀκολουθεῖν igitur indicat imitari, per sensus interjectos : sequi aliquem, formam ejus sequi, imitari. Hunc sensum tritum et usitatissimum admittit lingua latina : « Discere a peritis sequi optimos », ait Tacitus (Vit. Agric. 5).

Christus professus est absolutum discipulum talem fore qualem magistrum (Lc. 6, 40). Ipse boni Samaritani speciem induens : « Vade, ait, et tu fac similiter » (Lc. 10, 37). Tam arcte cum suis jungitur, ut ipse rejiciatur cum rejiciuntur (Lc. 10, 16). Exemplum ejus sequantur. De ordine disputantibus cum humilitatem praescriberet : « Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus ; sicut Filius hominis non venit ministrari sed ministrare... » (Mt. 20, 28). Et in novissima coena, cum pedes discipulorum lavaret : « Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis » (Joh. 13, 15) : qua satis indicat vitae novae mores ad exemplum suum affingi debere.

Eadem imitatio Christi apud Paulum invenitur. Etsi apostolus Christum secundum carnem nosse non vult, saepissime tamen ei Christus apparet exemplum permanens et supremum. Imaginem

ejus animo impressam ferre debemus (1 Cor. 15, 49). Quam cum eo communionem habemus, ad id spectat ut Christus in nobis formetur. Vivet itaque in apostolo Christus (Gal. 2, 20), per eum loquitur (2 Cor. 13, 3), vitam ejus regit (1 Cor. 4, 17), eum caritate premit (Phil. 1, 17). Veritas Christi in eo est (2 Cor. 11, 10). Fideles pariter ad imaginem Domini intus transfigurantur (2 Cor. 3, 18); membra sunt corporis ejus (1 Cor. 12, 12). Oportet itaque in omni re considerent quis fuerit, ut tales fiant. Sint humiles, tanquam ipse se humilitati Redemptionis causa submisit (Phil. 2, 5-11). Sint benigni et benefici : se enim, cum esset dives, pauperem effecit (2 Cor. 8, 9). Ament viri uxores, sicut Christus ecclesiam (Eph. 5, 25). Ignoscant sicut ignovit (Col. 3, 12. 13). Communio conformitatem secum trahit, et ipse apostolus dicere non dubitat : « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi » (1 Cor. 11, 1).

Quod in reliquis N. T. libris, magis aut minus, at certe apparet. Primum quidem in libro Actorum, qui, ut historiam decet, facta potius quam intimas cogitationes indicat, sed multis exemplis ostendit quantum prisci hujus temporis heroes Christum spirent. Matthias eligitur (Act. 1, 21, 22), testis totius vitae Christi qui eam non solum narrare sed etiam quasi affingere queat. Stephanus, Domino crucifixo, morte similis est (Act. 7, 59. 60). Testes Evangelii vita sua quasi Evangelio non scripto, sed eodem fideli, praecones fidei sunt (Act. 1, 8), quod Spiritus sancti vis et praesentia satis indicat felices cum opprobria Christi ferre potuerunt (Act. 5, 41).

Petri epistola prima de eadem imitatione ac Evangelia loquitur. Ostendit enim exemplum nobis reliquisse Christum, ut vestigia ejus sequamur (1 P. 2, 21); et jubemur hoc exemplo quasi adumbratione excitari, ad quam vita quotidiana fingenda sit. Ducem habemus cujus vestigia premenda sunt. Non de cruce solum agitur, nec de Christo quem passione, verberibus, suppliciis perferendis imitantur : si servis primum vexatis a magistris duris proponitur agni patientis in tormentis imago, nihilominus tamen ad omnium vitam spectat fortis illa et suavis effigies. Pauci revera crucem, omnes patientiae locum invenient.

Epistola ad Hebraeos, magis quam alii N. T. libri imitationem Christi et crucem conjungit. A nobis intente spectetur ille qui fidem in animis perficit : nempe quia parvi ignominiam fecit et in cruce passus est, a peccatoribus male acceptus (Heb. 12, 2. 3). Opprobrium ejus feratur (11, 26) qui passus et tentatus passos et tentatos sanctificat (2, 10. 18), sui participes (3, 14).

Prima Johannis epistola, sensu latiore hoc exemplum ut summam vitae novae regulam profert : « Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare » (1 Joh. 2, 6). Mandata ejus exsequamur, alii alios amemus, sicut praecepit (1 Joh. 3, 23), immo infinitae caritatis exemplum praebuit ta (1 Joh. 3, 16). Vitam dedit, vitam demus, opes largiamur (1 Joh. 3, 17). Ipse ergo quasi norma perpetua ante suorum oculos incedit. Quod liber Apocalypsis asserit, istos depingens qui agnum sequuntur, de perfecta castitate mentionem faciens quam servavit Dominus, quam sui tenebunt (Ap. 14, 4). Ita perficitur haec effigies Christi pauperis et crucifixi quae postea tantum locum in Ecclesia obtinebit. Sed si ab initio quaedam lineamenta divini vultus sese profundius animis hominum impresserunt, superest tamen ut ecclesia totum Redemptoris exemplum consideret, nec partem tantum, ut intelligat quid sit, sensu pleno, Christum sequi.

Satis clare apparet imitationem non servilem et externam requiri. Persuasum habeamus imitationem Christi in libera et viva praesentia Spiritus ejus ante omnia consistere. Sine libertate Christiana non est vita Christiana. Agamus igitur sicut ageret si nunc in loco nostro esset, Filius erga Patrem, Frater erga homines. Evangelium Spiritus est non lex. Affectus Christi sequamur.

Si cui ergo hanc viam inire in animo est, nullum illi alium librum « de imitatione Christi » liceat eligere quam ipsum Evangelium.

Ibi inveniemus verum et vivum Christum qui nos ducere potest, eximiam perfectae vitae speciem intuentes. Quivis alius liber nobis Christum scriptoris ingenio mutatum ostendit, et imitationem suadet quae somnia temporis in quo scriptus est aeternae veritati miscet. Nec discrepat e lege ista liber ille nobis nun-

quam satis admirandus quem de imitatione Christi Thomas a Kempis adorans scripsit. Vult veram et plenam imitationem Christi describere : signum prae se fert claustri. Ad vitam, non ad claustrum vocamur, neque ad claustrum illud internum animae quod quidam secum ferunt! Fateor quidem non facile esse exemplum Christi tam varium et altum et peculiare ex Evangeliis recipere. Ad hoc ars requiritur candida simul et eadem callida. Cooperatio quaedam est legentis cum sancto libro. Familiaritas magna cum narrationibus evangelicis requiritur. Cum precibus legendum est, et attenta mente. Quaeri vult Dominus, amari, sollicitari.

Nihilominus tamen necesse est in exemplo Christi novam Christiani vitam perfectam quaerere, et intentis oculis miram hanc effigiem intueri. Is est quem omnes imitari debent, non eo tamen dicentur imitatores. Christi enim persona non singularis sed universa est, ingenium non peculiare sed cum veritate ipsa mixtum, perfecta sanctitas, summus amor. Talis imitatio cum maxima libertate congruit. Nova potius vivendi ratio est, et quasi novum genus hominum. In Christo apparet ille « homo humanum modum excedens » quem recens quidam scriptor votis appellat. Officium sit ergo vita Christi ostendere quid sit vita Deo probata, ut quicumque a Christo vitam recipiant, vestigia ejus secuti, mundo ostendant quid sint homines quos fides movet. Quos ut instituas sit imitatio Christi pro educatione. Interna vis spiritus externo exemplo regitur. Anima Christiana ad Christianam vitam formatur. Idem nos simul educat Redemptor qui pro nobis vixit et qui in nobis manet. Magister docet, Spiritus suadet et inspirat. Vita narrata et verba relata cum interiore Domino ita congruunt ut secure et fortiter progredi liceat in hac vita, ubi, hoc validissimo auxilio destituti, non lucem nec vires haberemus.

V

Liceat nunc, non solum imitationis rationem et doctrinam dare, sed etiam indicem brevissimum et summam instituendi operis.

Si quis, amore Christi inspiratus, et longo fidei et vitae consortio cum Redemptore illuminatus, tantum consilium suscipit, videtur materiam hoc modo componere posse :

Primo Christum intueatur, qualem se in diversis vitae humanae partibus gesserit. Rarum est quidem, et saepe externum quod in quaque inveniet. Fragmenta diceres, sed praestantissima. Saepe pauca verba sunt, aut etiam nihil amplius quam nutus, sed hoc nutu verum ipsum indicatur. Referta sunt Evangelia his lineamentis inceptis quae interpretari necesse est, et quae continuata meditatione amplam cogitationum materiam suppeditant.

Exempla adhibeamus. Quid sit familia ostendit, qui triginta annos sub tecto patrio vixit, qui vinculum conjugale sanctius fecit, qui Patris nomen ad caelum extulit, qui matrem moriens dilecto discipulo commendavit. Vincula propinquitatis arctiora et libertati animarum periculosa supremis juribus veritatis postposuit, sed illa cum ad veram charitatem pertinerent, ficto juri divino anteposuit.

Amicitiae totum pondus dedit, qui apostolos primum sui amicos elegit (hanc familiaritatem meditare, ditissimam praeceptis !), cum Johanne dulcissima et sanctissima necessitate junctus, eique memoriam amici et doctrinam intimam Redemptoris committens.

Quid sit opifex bonus, et quanti labor assiduus aestimari debeat apparebit cum cogitaveris hunc Redemptorem cujus singula verba margaritae sunt pretiosissimae, diu lignarii rustici opus egisse. Manibus iisdem quae turbis bene precabantur et aegros sanabant, tenues domos erexit, aratra refecit.

Patriam dilexit qui historiam ejus recordabatur, qui campos Galileae, liliis splendidos et lacum assuetum sedem faciebat dilec-

tissimam, qui oves Israel errantes congregare conabatur, qui discipulis populum promissionum haeredem ante omnes commendabat; qui flebat, urbem infidelem aspectans. Ostendebat autem quomodo patria diligenda sit qui eam salvaturus ab ea crucem accipiebat.

Ecclesiam Israel in honore habuit qui synagogas visitabat. Templum purificavit, Verbum Dei a patribus receptum assidue legebat, dies festos observabat, nihil antiquius habuit moriturus quam ultimam cum discipulis Pascham comedere. Ponebat autem in lucem quam parvi sit ecclesia immemor officii, continuae reformationis oblita. Amor est eos velle perfectos quos ament.

Sed pars praecipua scribendi hujus libri muneri sanctissimo Redemptoris dedicabitur. Haec est materia multo amplior. Hac via disces, Christum imitatus, quomodo possis hominibus aliquid afferre salutis. De imitatione hic potissimum dicatur. Christus unicus est Magister. Nihil est in eo nisi plenum sensus. Iter monstrat animae cuique fideli quae velit homines ad lucem aeternam et amorem caelestem adducere.

Observa quo pacto sibi Christus animos hominum bonae voluntatis conciliet. Nota sedulo quam graviter, quam sapienter, quam apte tractet animos. Non sibi benevolentiam, non vulgi studia conciliat; satis est erga omnes se praebere qualem non optent sed optare debeant. Quanto judicio animum perspicit! Paucissimis verbis diceres quasi portam apertam esse. Subito diversissimi auditores, Nicodemus, mulier Samaritana, et innumeri alii in novum ordinem rerum transferuntur. Vis est in eo caelestis quae flectit animos, voluntatem regit et suadet ut nunc adorent quod prius ignorabant aut negabant.

Observa quomodo multitudinem alloquatur, sententias non jucundas auribus sed conscientiis hominum probatas, quae quasi clavi aurei, animis defixi haerent, aut potius quasi novae vitae fermenta profundo labore animos in melius mutant. Parabolas excogitat quae paucis verbis uberrimum sensum exprimunt, et rebus quotidianis divinae sapientiae effata rudibus accommodant. Non disserit, non orationes habet : res ipsae apparent.

Observa quomodo aegros sanet, esurientes nutriat, miseris

opituletur. Dixeris miserrimum quemque jure certo auxilium ab eo petere. Satis est infelices sint : veniant inventuri fratrem. Miraberis Salvatorem illum qui Regnum caelorum promittit, continuo corporis morbos, terrenas necessitates ante oculos habere : totum hominem amplexus, totum salvum facit. Quaeritur a recentioribus an possit Christus praesentis temporis difficultatibus respondere, an sit Evangelium mundo crescenti, et quaestionibus magis et magis multiplicibus aptum. Christum imitare, et videbis cito quam mirabili exemplare ostendat non solum quomodo animi illuminentur, sed ipsa societas humana transformetur.

Sed parum sit agentem Christum intueri. In illo est intimae vitae sacrarium. Hoc erit centrum et quasi cor ipsum libri nostri. Huc nobis penetrandum est.

Christum contemplare dolori continuo obnoxium. Observa dolorum innumerabiles causas; vide quantum aegritudinis tenerrimus animus ferre debuerit; vide quomodo tulerit, accipiens a Patre calicem supremae voluntatis, et paratus dolore ipso ad majores pro nobis dolores ferendos, perfectus Filius, perfectus Frater.

Legentem scripturas, observa, ubique verum ac aeternum quaerentem, quasi pabulum mentis ad Deum se continuo flectentis. Mirare quantum valeat in diversissimis sententiis et historiis discernere quid divini afferant, non addens verbis, sicut scribae allegoriis assueti, sed per verba vires caelestes, radios veritatis et amoris aeterni percipiens.

Preces ejus, si dicere licet, aude observare. Post diem laboribus refertam in secretum secedit, ut totus cum Deo rem agat. Sub caelo immenso solus, et quasi inter brachia Patris requiem perfectam, auxilium infinitum habet. Quaerens invenit, petens accipit. Quidquid dixerit, exauditur, qui nihil aliud quam Dei voluntatem sibi proponit. Preces quasi respiratio animae sunt. Vires renovantur, amor et sanctitas sicut aqua viva ex intimo corde saliens animum implent. Et quidquid tentaverunt adversarii, eum solatiis paternis ad majorem fiduciam, ad arctiorem communionem ducit. Hic ineffabilis praesentia Dei apparet, hic mysterium pietatis.

Non erravit Sheldon. Sic enim animum Christi induimus. Sic novus homo ad imaginem Filii Dei creatus, in nobis crescit. Fides simul et imitatio — ad unum enim tendunt — nos ad id instituunt ut cogitemus sponte sicut cogitaret Christus, velimus quod vellet, faciamus quod faceret. Merito potest anima fidelis, spiritu Christi penitus mutata quaestionem secum agitare : « Quid faceret Jesus si in loco nostro esset ? » Ex hoc renovatio pietatis et quasi ver novum exspectari potest. Clarius apparebit in vita Christiana imago et quasi redintegratio Christi. Et hoc vivum Evangelium, facilius intellectum, cordibus optabile, auxilium amplius peccatoribus ministrabit, lucem illustriorem quaerentibus, auroram futuri temporis jam lucescentem ostendet.

Vidi ac perlegi :

Publicae disputationis praeses,

E. Ehrhardt.

Vidi :

Fac. theol. ev. Paris., Decanus,

A. Sabatier.

Typis mandetur :

Academiæ Parisiensis Rector,

Gréard.

MATISCONE, EX TYPIS FRATRUM PROTAT